

Band X., Nr. 4768, Seite 425-426

Truchsess Walter von Warthausen beurkundet seine Übereinkunft mit dem nach Biberach verzogenen Heinrich genannt Maier Judsche.

Biberach, 1296. Ohne Tagesangabe

In nomine domini. Amen. Ne pia gesta propter labilem hominum memoriam et lubrici temporis intervallum patiantur sui roboris detrimentum, cautum est ea scripturarum et testium amminiculis perhennari. Noverint igitur universi singuli presentes et futuri presentium inspectores, quod ego Waltherus dapifer de Warthausen miles cum villico Hainrico dicto Maier Judsche, qui postquam a me pergens in civitate Biberach cum familia sua factus fuit civis et ego secutus foram eundem cum Eberhardo et Hainrico fratribus de Haisterkirche, quibus curia sua in Galmunt extitit obligata, debita mea et res seu alias impetitiones que mihi contra eundem villicum dictum Judsche compelebant obtinendum civitate in eadem laudabiliter fui expeditus de omnibus questionibus actionibus litis et impetitionibus motis ibidem vel non motis oblitis vel non oblitis, que vero mihi et dictis fratribus Eberhardo et Hainrico de Haisterkirch contra eum compelebant vel competere videbantur, per viros discretos videlicet Liutrammum quondam in Biberach ministrum, Hainricum dictum Hūpman, Cūnradum dictum Schillier, Johannem coquum cives ibidem et Fridricum dictum Heriukappe tamquam veros arbitros, in quos omnis nostra lis fuit fideliter compromissa, itaque quod ego Waltherus iam dictus dapifer de Warthausen contuli vero nomine feudi ipsi Hainrico villico dicto Judsche, Mahthildi uxori sue legitime, Berhtoldo filio suo, Adelhaidi, Hildrudi, Mahthildi et Anne suis filiabus nec non omnibus heredibus tam filiis quam filiabus eorum omnes res seu bona et feuda que prius a me in feudum detinebant, videlicet curiam villici Berhtoldi in Birkihart cum ortu dicto biund¹ iuxta curiam iam dictam et feudum domine Gartenarine, item feudum dictum Attenhoven lehen in Birkihart, item duo feuda in Sulmingen sita. Hec et omnia feuda cum omnibus suis pertinentiis quod vulgo dicitur ze wasen oder ze zvie et omnibus usu fructuum perceptionibus quiete possidendum excepto iure quod vulgo ehaftin nuncupatur et exceptis lignis et silvis meis. Nam verum ipsi Hainrico villico dicto Judsche hanc gratiam et omnibus heredibus suis contuli et feci, quod ipsi omnibus rebus bonis et feudis in Birkihart prefatis deinceps et semper ad conburendum edificandum et sepes faciendum de lignis meis copiose debent providere et copiam lignorum meorum recipere sine dolo ad bona predicta tantum de lignis meis ubi et alii homines de

¹corrigiert aus wiund.

II

Birkihar² recipere videantur. Nichilominus profiteor per presentes, quod ipse villicus Hainricus dictus Judsche seu sui heredes omnes pretaxati omnia bona et feuda predicta vendendum ac obligandum³ cui vel quibus voluerint exceptis claustris sine dolo et non aliter cum omni iure a me ipsis tradito et concesso plenariam habent potestatem manu mea et voluntate accedente. In cuius facti testimonium presentes dedi ipsi villico Hainrico dicto Judsche, Mahthildi uxori sue legitime, Berhtoldo filio suo, Adelhaidi, Hildrudi, Maht-hildi, Anne suis filiabus et omnibus heredibus eorundem sepredictis sigilli mei munimine roboratas. Testes huius sunt hii: dominus Hainricus de Tanne miles, Helwigus de Busteten, Ūl. de Muelibrunnen, Ber. de Kuzenkoven⁴, Ber. dictus Sahs minister in Biberach, Gretarius, Ber. dictus Schillier, Ber. dictus Krawel, Ūl. Kute, Ber. monetarius, C. Vrüge, Bur. de Tüffenbac, H. dictus Sappat, H. et L. fratres dicti de Menbrehzwilar, Ūl. Zvillin, Wern. Tüwingar, Ber. de Tüwingen, Dietricus Peggelin et alii quam plures fide digni.

 Datum et actum Biberach, anno domini MCCLXXXX sexto.

—

Textabdruck folgt dem Original.

 Das abhängende spitzovale Siegel s. WUB, Bd. VIII, S. 17, Nr. 2663. Es ist das Siegel des gleichnamigen + Vaters des Ausstellers, das dieser also weiter gebraucht.

²so!

³Vorlage: oligandum.

⁴Die Deutung von Kuzenkoven auf Groß- bzw. Kleinkitzighofen, Lamerdingen, OAL wird gestützt durch eine Steingademer Urkunde von 1277 Dezember 17, wonach Berth. miles de Chúzenkoven mit einem Hof in Lamerdingen bei Kleinkitzighofen belehnt war.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

B 163 U 20

Überlieferung und Textkritik:

Original. Beglaubigte Abschrift von 1815 Mai 30 und Abschrift: Spitalarchiv Biberach B 3211, S. 20 ff.

Regesten:

Spitalarchiv Biberach, Nr. 30.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Biberach

Ortsindex:

Alttann Wohnplatz (20601)
 Alttann, Wolfegg, RV
 Baustetten Wohnplatz (17356)
 Baustetten, Laupheim, BC
 Biberach an der Riß Wohnplatz (17113)
 Biberach an der Riß, BC
 Birkenhard Wohnplatz (17746)
 Birkenhard, Warthausen, BC
 Galmutshöfen Wohnplatz (17747)
 Galmutshöfen, Warthausen, BC
 Großkitzighofen, Lamerdingen, OAL
 Haisterkirch Wohnplatz (18852)
 Haisterkirch, Bad Waldsee, RV
 Kleinkitzighofen, Lamerdingen, OAL
 Kuzenkoven
 Megetsweiler Wohnplatz (20951)
 Megetsweiler, Horgenzell, RV
 Möllenbronn Wohnplatz (21010)
 Möllenbronn, Fronreute, RV
 Sulmingen Wohnplatz (17384)
 Sulmingen, Maselheim, BC
 Tiefenbach Wohnplatz (17694)
 Tiefenbach, BC
 Tübingen Wohnplatz (16214)
 Tübingen, TÜ
 Warthausen Wohnplatz (17758)
 Warthausen, BC